

Ergo etiam veritas, i. e. conformitas mentis cum re semper eadem erit.

4. *Ex absurdis*: Facile patet, sententiam adversariorum destruere omnem idearum valorem obiectivum, firmitatem et necessitatem obiectivam principiorum, quibus ordo et essendi et cognoscendi continetur; destruere omnem scientiam necessariam, universalem, omnem certitudinem omnemque religionem et moralitatem, et perniciosissimum inducere scepticismum, qui est mors naturae rationalis.

Metaphysica.

Introductio.

1. *Definitio*: Homines, non contenti rerum sensibilibus apparentia, quid sub phaenomenis, sive post vel trans physicam rerum naturam lateret, iam antiquitus investigare conati sunt. Qua inquisitione in naturam, originem, finem rerum scientia metaphysica orta est. *Metaphysica igitur est illa scientia, quae res considerat, ut in se sunt, sed sub ratione immateriali.* Nomen huic scientiae inditum est ex eo, quod Andronicus Rhodius (c. 70 a. Chr.) disciplinas ad metaphysicam pertinentes post (μετά) libros physicos Aristotelis posuit; quod nomen ex loco potius deductum apte tamen obiectum ipsum huius scientiae, sensibus reconditum, designat. Vocatur igitur *scientia*, quia res omnes ex causis suis cognoscere conatur. Obiectum eius *materiale* sunt res omnes quoad illam realitatem, quam habent in se sive in ordine existantiae, sive in ordine saltem possibilitatis. Hoc modo metaphysica differt a logica et ethica, quae res considerant secundum respectum, quem habent ad intellectum vel voluntatem nostram.

Obiectum vero *formale* est ratio immaterialis, sub qua res considerantur. Haec autem immaterialitas potest esse vel *positiva*, si agitur de rebus in se spiritualibus, ut sunt Deus, angeli, anima humana; vel *praecisiva*, si agitur de rationibus obiectivis, quae tum in spiritibus tum in corporibus inesse possunt, ita ut conceptus praescindat a modo, quo res concepta existat, e. g. ratio entis, essentiae, substantiae, accidentis, causae, vitae, finis etc. Utamque autem rationem immaterialitatis et positivam et praecisivam metaphysica comprehendit. Et haec praecisio metaphysica triplici modo locum habere potest: a) mens praescindit seu abstrahit a proprietatibus physicis (proprio sensibili et communi); b) praescindit etiam attributa propria vel essentialia ab invicem (praecisio obiectiva); c) praescindit a statu existantiae et formam a subiecto suo. Hoc modo formantur ideae universales et universalissimae. (Itaque metaphysica differt a physica et mathematica et disciplinis naturalibus, quae qualitates rerum sensibiles considerant, quum metaphysica rerum naturam maxime insensibilem investiget.)

2. *Historia*: Scientia metaphysica eo orta est, quod homines abstrahentes a sensibili rerum apparentia causam materialem et formalem, efficientem et finalem rerum sensibilibus quaerebant; unde omnium partium philosophiae prima tractabatur metaphysica, et quidem *theogonia* a gentibus antiquis orientis, *cosmogonia* a philosophis ionicis et ab atomistis; *metaphysica* quaedam mathematica idealistica a Pythagoraeis, pantheistica ab Eleaticis, usque dum Plato et Aristoteles eam tanquam scientiam integram constituebant.¹⁾ Decursu autem temporis metaphysica variam subiit sortem. Fuerunt, qui eam exaggerantes tanquam unicam scientiam philosophicam haberent, (sequentes pantheistas eleaticos ut Stoici, Neoplatonici et moderni Spinozistae, Hegeliani, Monistae, omnia ex uno principio modo synthetico (a priori) derivantes;) alii autem omnem metaphysicam respicientes tanquam figmentum phantasiae, nil nisi quod sensus referunt, admittunt, sequentes veteres Epicurarios, ut moderni Sensualistae et Positivistae. Maxime vero Kant metaphysicam impugnavit eamque ad theoriam cognitionis criticam reduxit, (cui sententiae usque ad nostrum tempus, maximo philosophiae detrimento, plerique adhaerent²⁾, non intelligentes, se hoc modo destruere omnem valorem conceptuum universalium, omnes leges universales, omnem omnino scientiam.)

3. *Methodus*: a) *Fontes*: Metaphysicae non est, a priori universum ex se construere mundum, sicut Fichte, Schelling, Hegel, fecerunt; sed supponit 1^o rerum, quas percipimus, realitatem physicam (in ordine existentiae) vel metaphysicam (in ordine saltem possibilitatis); 2^o supponit aptitudinem mentis nostrae eiusque veracitatem in cognoscendo, ac proinde obiectivum valorem idearum et principiorum, quae inde derivantur; (respicit igitur Kantii criticam rationis purae. Fontes igitur seu fundamenta praecipua metaphysicae sunt rerum realitas, quam experientia nostra externa et interna exhibet; et mentis nostrae aptitudo ad cognoscendum per ideas, iudicia, ratiocinia.) 3^o Accedunt tanquam media secundaria: Experientia externa aliorum per auctoritatem humanam et scientiae naturales, quae phaenomena sensibilia modo certo explicant, ut metaphysica inquisitio inde secure proficisci et quod invenerit, examinare possit; deinde Ss. Theologia explicans revelationem divinam, tanquam norma externa negativa, quae rectam viam ostendat, cui si quid repugnaverit, examen metaphysicae iterandum errorque corrigendus est.

b) *Via*: Metaphysica igitur primum viam ingreditur *analyticam* (a posteriori) ex phaenomenis sensibilibus ad eorum subiectum, ex

¹⁾ Cfr. Hagemann, *Metaph.*, 1884, 4 p. 6. ²⁾ Cfr. Gutberlet, *Allgem. Metaphys.* 1890², p. 3; porro *Der Kampf um die Seele* 1903, I², p. 1 sq.

effectibus ad causas tum proximas, tum ultimas assurgens, non vero modo pantheistarum vel ontologistarum a principio absoluto proficiens. Neque vero hic sistit; sed cognita rerum essentia et phaenomenorum causa, ex his iterum modo *synthetico* (a priori) ad rerum proprietates vel operationes ex natura earum i. e. ex causis explicandas descendit et quidem eo modo, qui rerum essentiis congruit. Quodsi utraque haec methodus adhibita fuerit modo debito, perfecta illa mundi cognitio acquireretur, quae in hac vita mortali nobis possibilis est, quaeque sola philosophum decet.

4. *Divisio*: Metaphysica dividitur in *generalem* et *specialem*. Generalis illa vocatur, quae considerat omnes res sub ratione *maxime* abstracta, ultima, ac proinde communi, quae in *omnibus rebus* invenitur. Quum autem ratio obiectiva maxime abstracta omnibusque communis sit ratio *entis* (τὸ ὄν), haec metaphysica generalis appellatur *ontologia*.

Metaphysica specialis illa est, quae diversas rerum species considerat sub ratione proxima universali immateriali, i. e. insensibili: unde ratione obiecti *materialis* dividitur in *cosmologiam*, quae essentiam et vires rerum corporearum investigat; *psychologiam*, quae naturam, facultates et operationes hominis scrutatur; *theologiam naturalem*, quae in Dei existentiam, naturam, proprietates, operationes inquirat.

Ontologia.

1. *Notio*: Nobis in primis ontologia tractanda est, quae res sub ratione maxime universali, i. e. sub ratione *entis* potissimum considerat. Unde eius obiectum *materiale* sunt omnes res, quae sunt vel esse possunt; obiectum *formale* vero ratio communissima entis eiusque proprietates: „Ens et quae ipsum consequuntur.“¹⁾ Huius igitur scientiae est, rationem entis explicare et illustrare, indeque principia illa deducere prima et maxime universalialia, quae sunt leges essendi et cogitandi.

(2. *Dignitas et utilitas ontologiae*: Ontologia est scientia: a) *Nobilissima*, tum ratione obiecti materialis, quia omnes omnino res complectitur, tum ratione obiecti formalis, quia res considerat sub ratione maxime abstracta ac proinde maxime immateriali, causas rerum supremas et quidem ipsis formaliter internas investigat. Iure igitur iam ab Aristotele vocata est „prima philosophia“.

b) *Utilissima*, non solum ad mentem exercendam, sed ad conceptus nostros perficiendos et principia constituenda, quibus ordo et essendi et cognoscendi regitur.

¹⁾ S. Thom. Prooem. in 12 lib. *Metaphys.*

c) Immo est scientia maxime *necessaria*, quia omnium scientiarum suppeditat et demonstrat principia, quibus nituntur. Qui igitur metaphysicam destruit, fundamentum evellit omnium scientiarum et viam aperit latissimam omnibus funestissimisque erroribus, quod nostro praesertim tempore apparet, quo, sprete metaphysica, tot tamque perniciosi errores et dissensiones in omnes partes philosophiae indeque in vitam privatam, sociale, publicam irreperunt.¹⁾)

3. *Divisio*: Quum ontologia rationem entis explicet, potest illam considerare et in se et respectu inferiorum, in quibus invenitur, et ratione perfectionis. Unde tractandum est: a) de ente transcendentali, b) de ente praedicamentali, c) de entis perfectione.

Liber primus: De ente transcendentali.

(1. *Notio entis*: Mens nostra praedita est facultate reflectendi in conceptus suos obiective spectatos, eorumque notas inter se distinguit et ab invicem praescindit. Hac mentis praecisione ideae novae eaeque magis universales et simplices efformantur, dum perveniamus tandem ad notionem *entis*, quam omnium maxime simplicem deprehendimus, ita ut nihil iam ab ipsa praescindi possit; nam ultra rationem entis non invenitur nisi purum nihil. *Simplicitas* et *immaterialitas*, quae huic rationi entis tribuitur, non est positiva tanquam aliquid existens in se et per se, sed est negativa, i. e. effecta per abstractionem, unde non existit formaliter nisi in conceptu, i. e. in mente abstrahente, cum fundamento tamen in re.

2. *Natura entis abstracti*: Haec igitur ratio simplicissima et abstractissima vocatur *ens transcendentalis*: *Ens*, quia solum nihilo opponitur; *transcendentale*, quia sub nullo genere continetur, sed omnia supergreditur et invenitur in omni genere, specie, differentia iam implicite contentum) Patet igitur, ens transcendentalis: a) *definiri non posse*: neque definitione essentiali, quia sub nullo genere continetur, et omnes differentias iam in se continet; neque definitione propria, descriptiva vel genetica, quia omnes conceptus rationem entis supponunt; b) neque *indiget definitione*, quia omnium conceptuum simplicissimus est et clarissimus, quum sit primum, quod in omni cognitione apprehendamus tanquam obiectum formale mentis.²⁾ Deinde patet, ens transcendentalis esse *comprehensione* minimum, quippe quod una nota constet simplici; *extensione* vero maximum, quum in omnibus rebus, quae sunt vel esse possunt, ratio entis inveniat.

¹⁾ Cfr. Commer, Immerwährende Philosophie, Wien, 1899, p. 105; Fischer, Grundproblem d. Metaphysik, p. 1, sq. ²⁾ Cfr. critic. p. 345 sq.

3. *Divisio entis*: Ens secundum S. Thomam¹⁾ triplex distingui potest: esse essentiae, esse existentiae, esse logicum (copula propositionis). *Esse essentiae*, per nomen „esse“ significatum, est illud, quod potest esse et quidem in rerum natura, non in sola mente; et opponitur nihilo essentiae, i. e. nihilo absoluto vel metaphysico. *Esse existentiae*, per verbum „esse“ significatum, est id quod in rerum natura (subiective) actu existit, et opponitur nihilo existentiae, i. e. nihilo positivo seu physico. *Esse logicum*, per copulam „est“ significatum, est id, quod solum obiective, i. e. ut obiectum cognitionis in sola mente existit et existere potest, e. g. iudicia obiective spectata. In metaphysica solum esse reale tum essentiae, tum existentiae consideratur. Esse essentiae autem seu posse esse et esse existentiae seu actu esse (existere) vocantur duplex status, in quo ens inveniri potest, non vero species entis, quia nulla differentia realis ad rationem entis addi potest, quae in ipsa non iam insit. Si autem „ens“ abstrahit ab omni statu, i. e. existentiam neque includit neque excludit, habetur „ens ut sic“, quod igitur praesive, non negative (exclusive) sumitur, et vocatur *ens transcendentalis*.²⁾

4. *Synonyma et attributa entis*: Synonyma entis sunt: *res* et *aliquid*. *Res* significat potius essentiam entis positive; *aliquid* (= aliud quid) ens distinguit ab aliis, unde potius negative illud significat. Attributa vero entis sunt: *unum*, *verum*, *bonum*. Haec attributa, ut patet, nil addunt realitatis ad rationem entis, sed eam vel in se (unum) vel relate ad potentias nostras (intellectum = verum

¹⁾ S. Thom. quaest. disp. de verit. qu. 1 a. 1. ²⁾ Sunt, qui ens transcendentalis vocent „compositum ex essentia et esse (existentia)“, unde restringunt illud ad res existentes, sicut etiam categorias ita, ut non-existentibus et non-compositis solum analogice conveniant. Sed quum ens transcendentalis ut conceptus directus i. e. quoad suam *comprehensionem* sit praedicatum essentiale et intrinsecum omnium rerum, non posset iam praedicari vere et proprie de rebus non-existentibus i. e. possibilibus, quia non existunt; neque de Deo, quia non est compositus ex essentia et existentia. Neque analogice de eis praedicari posset, si quidem analogia *intrinseca*, de qua hic agitur, supponit id, quod conceptus exprimit, *vere et formaliter* in omnibus analogatis inesse, licet diverso modo (cfr. dialect. p. 22 et infra § 2); Deus igitur et possibilia neque proprie neque analogice essent entia. Et si analogice essent entia, hoc essent per relationem ad ens existens et compositum, quum tamen, omnibus fatentibus, ratio entis *primo* insit in Deo, deinde per relationem ad ipsum in rebus a Deo dependentibus. *Ontologia* autem considerat *obiectivam* rationem entis, non modum *subiectivum* cognitionis nostrae i. e. modum, quo formamus *notionem* entis per abstractionem. Ceterum „ens transcendentalis“ illud est ex conceptu suo, quod abstrahit ab omni determinatione ac proinde etiam a statu existentiae et ab omni compositione. Cfr. De Maria, Philos. peripat. schol. I, 332. Remer, Summa praelect. philos. I, 206.